

<D. 2, q. 3 (SECTIO UNDECIMA): **Vb 89ra-95rb**>

A. <Divisio Textus.>

1 “Personarum quoque pluralitatem” etc. Postquam Magister induxit auctoritates probantes essentiae unitatem, hic inducit illas quae probant simul unitatem naturae et personarum pluralitatem. Et circa hoc duo facit. Inducit namque primo Vetus Testamentum, secundo Novum, ibi: “Nunc post testimonia Veteris Testamenti”. Adhuc circa primum duo facit. Primo namque ponit auctoritates quae probant personarum trinitatem; secundo eas quae probant ex illis personis unam habere rationem Filii, et aliam Spiritus Sancti. Secunda ibi: “David quoque aeternam”. Adhuc circa primum duo facit. Primo namque ponit auctoritates ex libris **/Vb 89rb/** Moysi; secundo ex libris prophetae David. Secunda ibi: “Ille etiam maximus”. Circa primum duo facit secundum duas auctoritates quas ponit. <Secunda> [secundam Vb] ibi: “Nunc ad propositum redeamus”.

2 Dicit itaque primo quod Dominus Genesi 1, cum ait “Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram”, ostendit essentiae unitatem dicendo in singulari “ad imaginem et similitudinem”, et personarum pluralitatem dicendo “Faciamus” et “nostram” in plurali. Et hoc Magister confirmat auctoritate Augustini, qui ait quod “si in illa natura esset tantum una persona, non” diceret “Faciamus” et “nostram”; et, si essent plures naturae, non diceret “ad imaginem”. Et idem probat auctoritate Hilarii, qui ait quod “professio consortii” cum dixit “Faciamus” et “nostram” sustulit intelligentiam personae singularis, ut intelligatur Deus non esse solitarius, sed trinus in personis. In fine autem Magister dicit quod trinitas et pluralitas et similia in Deo non sunt positiva, sed tantummodo remotiva, in quo a doctoribus communiter non tenetur, sicut infra patebit distinctione XXIV.

3 Postmodum ibi: “Nunc ad propositum”, inducit aliam auctoritatem Moysi dicentis: “In principio creavit Deus caelum et terram”. Per ‘Deum’ enim hic intelligitur Pater, et per ‘principium’ Filius, et per hoc etiam quod habetur in hebraeo non ‘Deus’ in singulari, sed ‘Heloim’ in plurali, quod potest interpretari ‘dii’ sive ‘iudices’, potest intelligi pluralitas personarum. Unde illud quod dixit serpens “Eritis sicut Heloim”, ubi nos habemus “sicut dii”, idem est dictum quod “Eritis sicut divinae personae”.

4 Postmodum ibi: “Ille etiam maximus”, inducit quatuor auctoritates, tres David et unam Isaiae. Primam quidem David scriptam in Psalmo 80, ubi ait: “Israel, si me audieris, non erit in te deus recens”; quod exponens Ambrosius ait quod, si Filius vel Spiritus Sanctus sunt Patre posteriores, recentes sunt, et, si unius divinitatis non sunt, adoratur deus alienus a Patre. Secundam vero scriptam in Psalmo 33, ubi dicitur: “Verbo Domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius omnis virtus eorum”. Per ‘Dominum’ namque Pater intelligitur, per ‘Verbum’ Filius, et per ‘spiritum oris’ Spiritus Sanctus. Tertiam quoque scriptam in Psalmo 66, ubi dicitur: “Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos <Deus>”; ubi trina confessio trinitatem exprimit personarum; cum vero subiungitur: “Et metuant eum* omnes fines terrae” unitas essentiae aperitur. Quartam autem scriptam in Isaia, capitulo 6, ubi introducit “se audivisse Seraphim clamantia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus”; replicando namque ter “Sanctus” exprimit trinitatem, unitatem vero cum dicit “Dominus Deus”.

5 Postmodum ibi: “David quoque”, inducit auctoritates quae probant quod ex istis personis una sit Filius et alia Spiritus Sanctus. Secundam facit ibi “De Spiritu Sancto etiam”. Circa primum ergo ponit quinque auctoritates quibus probatur quod persona Filii est in Deo; primam quidem David Psalmo 2, ubi ait: “Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te”. Secundam vero Isaiae 43: “Generationem eius quis enarrabit?” Tertiam quoque Sapientis Proverbiorum 8, ubi ait Sapientia increata: “Necdum erant abyssi et ego iam concepta **/Vb 89va/** eram”. Quartam autem Sapientis Ecclesiastici 24, ubi dicitur in persona Sapientiae increatae:

“Ego ex ore Altissimi prodii, primogenita ante omnem creaturam”. Quintam autem Micheae* 5, ubi dicitur de Filio Dei, quod “egressus eius est ab initio et a diebus aeternitatis”.

6 Postmodum ibi: “De Spiritu Sancto”, inducit alias quinque auctoritates ad probandum quod in Deo sit persona Spiritus Sancti. Prima scribitur Genesi 1: “Spiritus Domini ferebatur super aquas”. Secunda Psalmo 138: “Quo ibo a spiritu tuo”. Tertia Sapientia 1: “Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum”. Quarta Sapientia 7: “Benignus est spiritus sapientiae”. Quinta Isaiae 61: “Spiritus Domini super me”.

7 Postmodum ibi: “Nunc post testimonia”, inducit Magister auctoritates Novi Testamenti et ponit septem auctoritates per ordinem. Primam Salvatoris scriptam Matthaei ultimo: “Baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti”. Secundam Iohannis 10: “Ego et Pater unum sumus”. Tertiam ponit Iohannis evangelistae scriptam I Iohannis ultimo: “Tres sunt qui testimonium dant in caelo”, etc. Quartam eiusdem scriptam in Evangelio: “In principio erat Verbum”. Quintam Apostoli Ad Galatas 4: “Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra”. Sextam eiusdem Ad Romanos 8: “Si spiritus eius qui suscitavit Iesum habitat in nobis”. Septimam eiusdem Ad Romanos 11: “Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia”; ‘Ex ipso’ enim dicitur propter Patrem, ‘per ipsum’ propter Filium, ‘in ipso’ propter Spiritum Sanctum. In fine autem Magister concludit quod pene omnes syllabae Novi Testamenti mysterium annuntiant huius ineffabilis trinitatis.

Haec est Sententia.

B. <Quaestio XI:> Utrum secundum regulam Scripturarum in uno Deo sit trinitas personarum, vere et proprie accipiendo personam.

8 Et quia Magister probat hic pluralitatem personarum esse in uno Deo per testimonium Scripturarum, idcirco inquirendum occurrit: Utrum secundum regulam Scripturarum in uno Deo sit trinitas personarum, vere et proprie accipiendo personam.

1. Quod non sint tres personae.

9 Et videtur quod non. Illud enim non est asserendum secundum regulam Scripturarum* in Deo, ex quo sequitur quaternitas rerum in eo. Impossibile est enim quod sint quatuor res divinae. Sed ex trinitate personarum in unitate essentiae sequitur quaternitas quaedam, cum sint tres res inter se distinctae, et una quaedam communis. Ergo secundum regulam sacrae Scripturae hoc non est ponendum in Deo.

10 Praeterea, hoc non debet poni in Deo secundum Scripturam quod repugnat enti simplicissimo. Sed trinitas personarum in unitate essentiae repugnat simplicissimo enti, in quantum in qualibet persona oportet poni essentiam et suam proprietatem, quae necessario faciunt compositionem. Ergo secundum Scripturas hoc non erit in Deo.

11 Praeterea, secundum regulam Scripturarum nihil debet poni in Deo quod repugnat enti actualissimo. Deus namque ens actualissimum est secundum veritatem. Sed actualissimo repugnat **/Vb 89vb/** omnis additio, quia quod recipit additamentum est in potentia ad illud. Personarum autem pluralitas ponit additionem proprietatum personalium ad essentiam, iuxta illud Commentatoris, XII *Metaphysicae*, commento 39, dicentis quod “putaverunt antiqui trinitatem esse in Deo in substantia, et voluerunt evadere dicentes quod sunt tres et unus Deus, et nesciverunt evadere quia, cum substantia fuerit numerata, congregatum erit unum per unam intentionem additam congregato”. Ergo iuxta Scripturae veritatem non debet poni trinitas personarum in Deo.

12 Praeterea, illud non debet poni in Deo secundum Scripturas quod repugnat sinceritati et primitati ipsius. Sed “sinceritas divina in hoc consistit quod est quicquid habet et praedicatur de omnibus quae sunt in ea”, sicut dicit Augustinus, XI *De civitate Dei*, capitulo 10. Primitas autem in hoc consistit quod eius essentiae non admiscetur aliqua alia essentia, iuxta illud Commentatoris, XII *Metaphysicae*, commento 49, dicentis “quod prima essentia, quae significat esse rei, oportet ut non habeat aliam essentiam, quia est perfectio et finis et omnino simplex”; et III *De anima*, commento 18, dicit quod nulla forma est libera simpliciter, nisi prima forma cuius essentia est quiditas eius; aliae autem formae diversantur quoquomodo in quiditate et essentia. Constat autem quod, ubi est pluralitas personarum, necesse est quod proprietates non sint omnino divina essentia; et sic impeditur sinceritas et primitas ipsius. Ergo secundum veritatem Scripturae haec non debet poni in Deo.

13 Praeterea, illud non cogit Scriptura ponendum in Deo quod repugnat enti perfectissimo. Sed pluralitas sonat imperfectionem, tum quia unitas est perfectio simpliciter, multitudo autem imperfectio; tum quia pluralitas repugnat divinae essentiae, non enim potest plurificari, et a simili videtur quod repugnet perfectioni personae; tum quia pluralitas suppositorum non intelligitur* nisi per accidens in natura, quia videlicet non potest in uno supposito natura perpetuari, et idcirco talis pluralitas non est in incorruptibilibus, ut patet de luna et sole, sed in generabilibus et corruptibilibus tantum, sicut Philosophus docet in II *De anima*. Ergo Scriptura non cogit ut hoc ponatur in Deo.

14 Praeterea, nulla Scriptura vera compellit ut ponatur in Deo verificatio contradictoriorum. “Istud namque est pessimum genus errantium circa Deum, credere scilicet id quod nec in corpore, nec in condito spiritu, nec in ipso creatore, nec in aliqua natura reperitur”, ut Augustinus dicit, I *De trinitate*, capitulo 1. Sed ad positionem trinitatis personarum in Deo manifeste sequitur verificatio contradictoriorum, tum quia verum erit quod eadem res, quae est in Patre, est communicabilis Filio, puta essentia et paternitas quae est eadem res, cum essentia non est communicabilis; tum quia personae et essentia sunt eadem res, et tamen essentia est una, persona non una; personae sunt plures, essentiae non plures; tum quia Pater non est alia res quam essentia, et tamen Pater generat, essentia non generat; et similiter Filius generatur et deitas non generatur, et tamen sunt eadem res; tum quia duae personae sunt unum in re essentiae, non sunt unum in re proprietatis, et tamen proprietates et essentia sunt eadem res; et multae aliae contradictiones sequuntur ad hanc positionem. Ergo nulla Scriptura vera cogit ad hoc ponendum.

15 Praeterea, Scriptura sacra non repugnat primis principiis. Nullum enim repugnans eis cum **/Vb 90ra/** verissima sint potest habere veritatem; vero nempe omnia consonant, ut Philosophus dicit in I *Ethicorum*. Sed pluralitas personarum in uno vero Deo repugnat illi principio per se noto: Quaecumque uni et eidem sunt eadem, inter se sunt eadem, eo modo quo in tertio; repugnat inquam quoniam personae sunt penitus eadem nullo addito deitati et una simplicissima res omni modo realitatis, et tamen inter se realiter distinguuntur. Igitur Scriptura sacra non compellit ad hoc credendum.

16 Praeterea, Scriptura sacra non infringit artem syllogisticam et maxime syllogismum expository, cum forma syllogistica, et maxime expository syllogismi, habeat evidentiam ex se, ut Philosophus dicit, I *Priorum*. Ait enim quod, medio existente ‘hoc aliquid’ et singulari significato, necesse est extrema coniungi. Sed pluralitas personarum in uno vero Deo infringit syllogismum expository, et per consequens omnem artem syllogizandi, quae tamen demonstrative tenet. Constat namque quod deitas est quaedam res singularissima, qua demonstrata potest dici: Haec res est paternitas, et haec eadem res est filiatio; et tamen non sequitur quod paternitas sit filiatio, contra omnem artem expository syllogismi. Igitur haec pluralitas non debet poni in Deo secundum regulam Scripturarum.

17 Praeterea, ad illud non compellit Scriptura quod auditum, et terminis intellectis, ex ipsis eisdem terminis mens statim respuit. Tale namque non solum videtur falsum, immo per se notum in falsitate, sicut per oppositum veritas est per se nota quam auditam mens statim approbat, secundum Boethium, *De hebdomadibus*, Hebdomada prima. Sed isti termini ‘tres res’ ‘una res’ optime capiuntur, et tamen si connectantur dicendo ‘tres distinctae res sunt omnimode una simplex res’ statim mens hoc respuit tamquam falsum, impossibile, et notum in falsitate. Ergo ad hoc credendum non compellit Scriptura.

18 Praeterea, Dionysius dicit primo capitulo *De divinis nominibus*, quod “universaliter non est audendum aliquid dicere nec etiam cogitare de supersubstantiali et [et] occulta deitate, praeter ea quae divinitus nobis ex sacris eloquiis sunt expressa”. Sed in nullo sacro eloquio Scripturarum invenitur quod in Deo sint tres personae, immo nec personae vocabulum alicubi reperitur expressum. Ergo hoc non debuit poni in Deo.

2. Quod debeat poni trinitas personarum in Deo.

19 Sed in oppositum videtur quod Scriptura inducat ad ponendum trinitatem in Deo. Altior enim est Scriptura divina quam scriptura philosophica. Sed Philosophus ponit trinitatem in Deo, I *Caeli et mundi*, dicendo quod omnis perfectio consistit in tribus, et quod nos extrahimus numerum ternarium a natura rerum et per hunc numerum adhibuimus nosmetipsos magnificare unum Deum, creatorem, eminentem proprietatibus eorum quae sunt creata. Ergo multo fortius Scriptura divina compellit ad ponendum beatam trinitatem.

20 Praeterea, Scriptura compellit ad tribuendum Deo quicquid est perfectionis repertum in creatura. Sed in creatura reperimus naturam specificam communicari pluribus suppositis, et hoc est perfectionis; dividi autem et multiplicari in **Vb 90rb/** ipsis, et hoc est imperfectionis. Ergo debet poni quod divina essentia communicetur pluribus suppositis absque sua divisione secundum regulam Scripturarum.

21 Praeterea, Scriptura divina, si sufficienter tractat de Deo, debet sibi tribuere quicquid est perfectionis simpliciter, praesertim cum deitas sit perfectio simpliciter. Sed omnis perfectio simpliciter ex ratione sua communicabilis est. Est enim illud quod est melius in unoquoque ipsum esse quam non esse, ut Anselmus dicit, *Monologion*, 15 capitulo; quod debet intelligi, illud esse perfectionem simpliciter quod melius est in quocumque supposito, absolute considerato sine quacumque natura, quam si haberet oppositum. Si autem perfectio simpliciter esset incommunicabilis cuicumque supposito, nisi uni, non competeret sibi ista descriptio. Ex quo patet quod perfectio simpliciter communicari habet. Ergo Scriptura sacra debuit praedicare deitatem communicatam pluribus suppositis.

22 Praeterea, et est ratio Richardi, III *De trinitate*, capitulo 2: “Ubi quae est plenitudo caritatis et dilectionis caritativae, ibi est pluralitas; nullus enim pro privato sui amore dicitur proprie caritatem habere. Oportet enim ut amor in alterum tendat ut caritas esse quaeat”. Sed in Deo est summa caritas. Ergo ibi est persona quae amorem impendat, et persona quae amorem rependat. Igitur pluralitas personarum in Deo est, vel carebit perfectione caritativi amoris.

23 Praeterea, et est ratio eiusdem: “Ubi quae est perfecta felicitas et perfecta iucunditas, ibi est amor mutuus; amor namque solitarius iucundus non est”. Sed constat quod in Deo, circumscripta omni creatura, est summa iucunditas et felicitas. Ergo et personarum pluralitas.

Responsio ad quaestionem.

24 Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur: primo namque colligentur septem regulae ex Scripturis, quibus dirigi nos oportet ad videndum quae pluralitas sit in Deo. Secundo

vero personae ratio inquiretur, et concludetur ex illis regulis quod tres personae ponendae sunt in Deo. Tertio vero, quia theologia nostra declarativus habitus est, inquiretur quomodo possit intelligi secundum opiniones doctorum. Quarto autem possibilitas declarabitur iuxta id quod videtur.

1. Articulus primus. Ubi colliguntur septem regulae ex divinis Scripturis

25 Circa primum ergo considerandum est quod Scriptura divina in exprimendo pluralitatem in Deo dicit ibi esse quosdam tres, de quibus verba possunt plurificari, dicendo “Faciamus” Genesis 1, et “unum sumus” Iohannis 10, et “unum sunt” I Iohannis 5, et “testimonium dant” ibidem, et multa similia, ex quibus colligitur prima regula, scilicet quod in Deo sunt tres, de quibus verba enunciantur in plurali.

26 Secunda vero regula potest colligi quod ibi sunt tres in quibus nulla nomina habent plurificari; nec enim hoc nomen Deus, sed magis e converso dicitur Deus trinus unus est; nec Dominus, non enim tres domini, nec tres omnipotentes, sed unus immensus et unus omnipotens; et sic /Vb 90va/ de nominibus universis exceptis numeralibus – duo et tres – et relativis, scilicet ‘quis’ vel ‘qui’, et distinctivis cum additione huius nominis ‘persona’ – potest namque dici duae personae, tres personae – et, exceptis eisdem nominibus, in masculino et feminino; possumus namque dicere quod Pater et Filius sunt ‘alii’, vel quod personae sunt ‘aliae’.

27 Tertia quoque colligitur quod ibi sunt tres de quibus pronomina possunt pluraliter enunciari, dicendo “tres hii” ut I Iohannis 5 “hii tres unum sunt”, ‘vos tres’, ‘nos tres’, et sic de aliis pronomibus.

28 Quarta vero colligitur quod ibi sunt tres qui mutuo se possunt alloqui, dicendo ‘ego et tu’, ut est illud “Tu me misisti”, et illud “crediderunt vere quia a te exivi”, et illud “Clarifica me Pater apud te ipsum claritate, quam habui antequam mundus fieret apud te”, quae Iohannis 17 loquitur Salvator ad Patrem orando.

29 Quinta colligitur quod ibi sunt tres quorum unus est in alio et apud alium. Ait enim Filius Iohanne 14: “Ego in Patre et Pater in me est”, et Iohanne 17: “Tu Pater in me et ego in te”, et Iohanne 1: “Verbum erat apud Deum”.

30 Sexta quoque quod ibi sunt tres de quibus possunt possessiva pronomina ‘meum’ et ‘tuum’ distincte verificari, ut est illud “Mea doctrina non est mea”, Iohannes 7; et illud “Omnia mea tua sunt”, Iohannes 17.

31 Septima autem colligitur quod ibi sunt tres qui possunt esse distinctum suppositum verbi, quilibet per seipsum. Illud enim quod dicit Filius: “Exivi a Patre et veni in mundum”, et illud “Crediderunt vere quia a te exivi”, verificatur de solo Filio; et illud “Ille me clarificabit quia de meo accipiet”, et illud “Spiritus qui a Patre procedit” verificatur de solo Spiritu Sancto; illud autem “Ante luciferum genui te” et illud “Ego hodie genui te” de solo Patre verificatur.

32 Sub isto itaque septenario regularum in Scriptura nobis veridica traditarum, necesse est captivare ingenium in obsequium veritatis, ut ex istis regulatur intellectus fidelium circa omne quod intelligendum est circa veritatem divinarum personarum.

Et hic primus articulus terminetur.

2. Articulus secundus

a. Ubi inquiritur ratio verae personae.

33 Circa secundum autem considerandum est quod persona et suppositum non differunt nisi ratione materiae, quemadmodum simum et concavum. Persona namque est suppositum, non in quacumque natura, sed in intellectuali tantum, sicut simum non est concavum nisi in naso tantum. Et idcirco, rationem personalitatis investigare est rationem suppositi formalem inquirere, quae quidem nihil aliud est quam perseitas tertii modi. Est namque illa perseitas ‘esse solitarie, discrete et distincte’; et idcirco non competit accidentibus quae discrete non sunt et solitarie, sed in subiecto; nec competit partibus integralibus, pedi videlicet et manui, quae distincte non sunt sed in toto; nec competit partibus essentialibus, ut materiae et formae; non sunt enim per se sed in composito; nec competit universalibus et secundis substantiis, quae dicuntur /Vb 90vb/ de primis et solitarie non existunt. Sola igitur illa quae sunt aliquid hoc per se unum, existentia solitarie et distincte, participant perseitatem tertii modi, de qua Philosophus dicit I *Posteriorum* quod quaecumque ‘hoc aliquid’ significant et non de subiecto aliquo dicuntur, nec in subiecto sunt, illa per se esse dicuntur.

34 Ex hoc itaque posset colligi aliqualis notificatio personae, ut dicatur quod vera persona nihil aliud est quam quod est per se primo unum, positum solitarie, distincte et discrete, dum tamen sit intellectualis naturae. Hoc nimirum quod additur “intellectualis naturae” contrahit suppositum ad personam. Quod vero dicitur “primo unum, positum solitarie, distincte, et discrete” tollit rationem suppositi ab accidentibus et quibuscumque partibus et universalibus, et relinquit eam solis primis substantiis. Quod vero praemittitur “quod est per se tertio modo” in generali concludit id quod explicatur in speciali per “positum solitarie et distincte”. Nam tertius modus per se est modus solitudinis secundum Lincolniensem.

35 Quod autem hoc sit personae ratio potest multipliciter declarari. Primo quidem quia ex verbis Richardi, IV *De trinitate*, capitulo 8, colligitur quod “Cum dicitur persona, pro certo intelligitur aliquis unus solus, qui tamen sit intellectualis substantia”. Ex verbis autem eiusdem, capitulo 9, patenter habetur quod “ubicumque sunt tres personae, omnino necesse est ut aliquis alius sit ille et aliquis alius sit iste et aliquis alius qui est tertius ab utroque, et quilibet eorum per se solus a ceteris sit duobus propria distinctione et distincta proprietate discretus”. Et ex verbis eiusdem, capitulo 17, evidenter concluditur quod “Personalem proprietatem dicimus per quam quilibet unus est ab omnibus aliis discretus. Numquam enim personam dicimus nisi aliquem solum a ceteris omnibus singulari proprietate discretum”. Et capitulo 24 clariorem et planiorem ut ait definitionem personae concludens, sic dicit: “persona est existens per se solum <...> quia persona numquam recte dicitur nisi unus aliquis solus, a ceteris omnibus singulari proprietate discretus”. Haec Richardus. Sed constat quod esse unum aliquem singularem, solum, proprietate discretum, existens per se solum, non competit nisi habenti perseitatem tertii modi. Tale namque est per se solum, unum discretum, et cetera quae dicta sunt. Ergo perseitas tertii modi est ratio suppositi et personae, cum additamento intellectualis naturae.

36 Secundo vero quia persona interpretatur ‘per se sonans’ vel ‘per se una’, illud igitur unum consurgit quod aliquid per se sonet et sit per se unum, illud inquam dat alicui rationem personalitatis. Sed ex perseitate tertii modi, quae non est aliud quam poni ‘solitarie et discrete’, oritur quod aliquid per se sonet. Non enim accidens sonat per se, quia non est sui ipsius, sed subiecti; nec partes sonant per se, sed ipsum totum; nec etiam universalialia, sicut patet. Ergo ratio personae consistit in perseitate tertii modi, dum tamen sit in intellectuali natura.

37 Tertio quoque patet idem ex significato pronominis. Pronomen namque significat merum suppositum sine qualitate secundum grammaticum. Sed significatum pronominis non competit nisi rei per se positae solitarie et discrete; non enim potest dicere ‘ego’ anima loquens corpori, nec potest corpus pro-/Vb 91ra/-nominaliter appellare ‘tu’, nec lingua potest se dicere ‘ego’ nec pedem ‘tu’ appellare. Ista enim non competunt nisi toti personae. Adhuc etiam si aliquid

demonstrando dicat illud vel istud vel hoc, semper intelligitur de toto subsistente, iuxta illud Commentatoris, VII *Metaphysicae* commento 27*, dicentis quod aggregatum ex materia et forma est illud quod demonstratur per hoc pronomen 'hoc'. Ergo ratio suppositi consistit in perseitate tertii modi, et per consequens ratio personae addita intellectuali naturae. Nec valet si dicatur quod haec ratio est ridiculosa cum sit grammatica. Haec nimirum non est ridiculosa, immo ridiculosum esset non intelligere quod sit demonstrativa. Modi enim significandi grammatici supponunt metaphysicos modos intelligendi, secundum quos distinctae sunt partes orationis. Contingit enim intelligere meram perseitatem tertii modi, quod est esse solitarium et discretum alicui inesse, non intelligendo aliquam naturam aut qualitatem in illo; et tunc vere capitur ratio suppositi absque omni natura; ad quam quidem significandam imposita sunt pronomina, et idcirco pronomen meram substantiam seu subsistentiam significat. Non valet etiam si dicatur quod pronomina dicuntur de accidentibus, ut illa albedo, ille color; et similiter de partibus, ut ille pes, illa manus. Siquidem hoc non valet; quamvis enim cum additione possit dici de illis 'illa manus' vel 'ille pes', nihilominus absolute dicendo ille vel illa vel illud, intellectus conciperet ipsum suppositum et subsistens quod habet perseitatem tertii modi.

38 Quarto vero quia prima substantia et suppositum idem videntur significare; non enim sunt supposita nisi individua substantiae. Sed ratio primae substantiae consistit in perseitate tertii modi, iuxta definitionem quam assignat Philosophus de substantia prima, VII *Metaphysicae* et in *Praedicamentis*, quod est illud quod nec de subiecto dicitur nec in subiecto est, sed per se solitarie. Ergo ratio suppositi consistit in perseitate tertii modi.

39 Quinto vero istud apparet a priori. Illa namque videtur ratio suppositi, qua adveniente alicui, illud fit suppositum, et abscedente tollitur ne sit suppositum, aliis omnibus non mutatis. Sed adveniente perseitate tertii modi, quod non erat suppositum fit suppositum, ut patet quod pars ligni continui vel aquae suppositum non est, cum non sit per se tertio modo; facta vero divisione*, quaelibet pars fit suppositum; aqua etiam quae per se et divisim existens suppositum est, si coniungatur alteri aquae, amittit rationem suppositi. Ergo perseitas tertii modi est vera ratio suppositi. Nec obviat si dicatur quod anima separata habet perseitatem tertii modi, et accidentia in Sacramento altaris habent esse solitarium et divisum a subiecto; et tamen nec anima nec accidentia habent rationem suppositi. Nec etiam si dicatur quod natura humana in Christo est prima substantia et est per se tertio modo, cum non sit suppositum nec persona. Hoc quidem non obviat. Anima enim, cum non sit res praecisa habens unitatem per se distincte – non est enim nisi purus actus et perfec-**Vb 91rb**-tio et modus, est namque vita corporis – et cum ita sit de realitate ipsius animae, constat quod non est per se tertio modo. Et idem tenendum est de accidentibus, quia sunt purae perfectiones et actus sive modi; modum autem nullus intelligit esse aliquid hoc discretum et distinctum, sed una cum subiecto. Et idcirco anima separata non debet intelligi ut aliquid terminatum in sua realitate, non est enim habens terminos, cum sit pure terminus et perfectio corporis; et ideo non est subsistens; qui autem imaginantur ipsam ut aliquod terminatum et ut rem solitariam, non apparet quomodo non imaginentur ipsam ut aliquid subsistens. Et idem de accidentibus. Et si quaeratur quomodo non sint solitaria, cum accidentia sine subiecto sint et anima existat a corpore separata; dicendum quod per solitarium intelligitur id quod habet propriam et completam unitatem. Nunc autem anima et corpus fundant eandem unitatem et accidens et subiectum, sicut perfectio et perfectibile; modus essentialis et suum modificabile quantum ad corpus et animam, accidentalis autem modus quantum ad alia. Cum igitur anima et accidentia separantur, non communicatur eis propria unitas; alioquin ex modis fierent res subsistentes, quod est impossibile, sed manentur in realitate quam habebant; et quia realitatem habebant sine unitate, eandem habebunt* corrupto perfectibili et modificabili transeunte. Sed de hoc alias prolixior erit sermo. De natura autem humana in Christo tenendum est quod non habet perseitatem tertii modi nec rationem primae substantiae, quamvis sit individua, sicut nec pes nec manus, pro eo quod sua realitas est alterius, puta Verbi, simpliciter et quiditative; dat enim Verbo quod sit homo substantialiter et quiditative; propter

quod, non habet esse per se sed alterius, et per consequens suppositum non est, ut dicitur in Tertio.

40 Sexto vero potest propositum declarari ex definitionibus personae quae assignantur a diversis. Definit namque personam Boethius, *De duabus naturis et una persona in Christo*, capitulo 3 quod est “rationalis naturae individua substantia”. Constat autem quod individuum substantiae habet perseitatem tertii modi. Igitur haec definitio probat intentum. Definit etiam ipsam Richardus, IV *De trinitate*, capitulo 21 et deinceps per duo capitula, quod “persona est intellectualis naturae incommunicabilis existentia”. Constat autem quod illud solum habet incommunicabilem existentiam quod est per se tertio modo; quod enim est alterius, vel sicut pars vel sicut accidens vel sicut commune praedicabile, non habet existentiam non communicatam; et idcirco haec definitio propositum confirmat. Definiunt autem magistri personam quod est “hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente” Constat autem quod distinctio ad dignitatem pertinens est perseitas tertii modi. Et sic idem quod prius. Definiunt* vero alii quod “persona est per se sonans”, sibi videlicet, non alteri sonans, per oppositum ad partes quae non sonant sibi, sed toti. Constat autem quod nihil sonat sibi, nisi quod existit per se tertio modo. Ergo ex omnibus istis definitionibus colligitur quod in hac perseitate consistit ratio suppositi et personae.

b. Quod ratio personae vere triplicatur in divinis.

41 Viso igitur quid est persona, patet ex praecedentibus quod ratio personae in Deo **/Vb 91va/** vere et proprie triplicatur. Ubi namque sunt tres, quorum quilibet est per se tertio modo tamquam aliquis unus solus, singularis, distinctus, discretus a ceteris, ibi vere triplicatur ratio personae, ut ex praedictis patet. Sed in divinis ex paternitate et essentia, quarum neutra est res habens propriam unitatem, constituitur et resultat una distincta unitas, et per consequens consurgit quidam aliquis modus unus, discretus, singularis, solus, per se positus perseitate tertii modi. Et consimiliter ex essentia et filiatione consurgit unus alius [probatum est enim supra *add. Vb*]. Et eodem modo ex essentia et passiva spiratione consurgit alius. Probatum est enim supra quod nec essentia nec proprietas habent propriam unitatem, sed quaelibet cum essentia fundant singulas unitates. Ergo necesse est dicere quod personalitas vere triplicetur in Deo.

c. Quod septem praedictae regulae hoc concludunt.

42 Et quia intellectus noster debet veritatem istam regularum septenario mensurare, quae supra collectae sunt ex Scripturis, idcirco considerandum qualiter ex ipsis regulis hoc quod dictum est eliciatur.

43 Prima siquidem regula docet quod de isto trinario dicuntur verba in plurali, ut “faciamus” et “sumus”. Ex qua elicitur quod ibi debent esse tres a quibus actus importatus per verbum egrediatur, nec tamen propter hoc oportet quod actus triplicetur.

44 Secunda vero docet nos, ut nullum nomen ibi plurificetur, quod quomodo verum sit satis claret. Cum enim essentia cum ternario proprietatum fundet tres unitates, in quolibet uno est tota essentia et per consequens totus Deus, tota veritas, tota omnipotentia, tota entitas, tota vita; nec aliquid omnino triplicatur nisi unitas sola, quae quidem unitas est idem quod perseitas tertii modi, indivisum scilicet esse in se et discretum ab alio quocumque. Si autem unitas triplicatur, necesse est nomina numeralia plurificari ut dicatur quod sunt tres quidem, tres aliqui, non dii tamen, sed Deus. Et similiter necesse est ut nomen personae plurificetur et relativa discretionem significantia, ita ut proprie dici possit quod sunt ibi tres qui sunt mutuo alii.

45 Tertia quoque docet nos pronomina ibi plurificari; quod ex proposito clare potest intelligi. Si enim pronomen meram perseitatem et unitatem ac subsistentiam significat, ut declaratum est,

merito triplicata unitate pronomina triplicantur, ut dicatur quod sunt ibi tres ‘hii’ et nos et vos, manente eadem natura. Unde et communis modus loquendi declarat hoc esse possibile in Deo, cum in humanis consuetum est dici de aliquo solemniter: Vos, domine imperator vel papa, quasi plurificetur personalitas dicendo ‘vos’, manente identitate imperii et domini ac naturae.

46 Quarta quoque nos docet quod isti tres mutuo possunt colloqui, dicendo “tu” et “ego”; et sine dubio patet per idem. Ex quo enim significatum pronominis quod est personalitas ibi distinguitur, et in-/Vb 91vb/-tellectualis natura manet indistincta; ratione intellectus est ibi colloquium, ratione vero distinctae personalitatis mutuum esse potest.

47 Quinta vero nos docet quod unus est in alio, sicut distinctus in distincto; et hoc utique patet, nam in quocumque est essentia; in eo est paternitas quae fundat cum ea eandem unitatem, et per consequens totus Pater; essentia autem est in Filio et Spiritu Sancto; quare consequens est ut totus Pater sit in Filio et Spiritu Sancto, et e converso.

48 Sexta autem de pronomibus possessivis quod possint (!) distincte verificari de illis tribus, per idem patet per quod de pronomibus ceteris. Unitas enim est propria cuilibet ex illis tribus, et ideo sibi appropriant pronomina possessiva, quamvis possessa sint eadem. Nam eadem est doctrina et essentia ac vita trium.

49 Ultima quoque docet nos quod illi tres possunt distincte reddere suppositum verbo; quod etiam patet ex praecedentibus. Omne enim quod habet perseitatem tertii modi potest verbo supponere distincte.

50 Concludendo itaque quoad istum articulum dicendum est quod secundum regulam Scripturarum vere in Deo personalitas triplicatur, et nullo modo natura nec aliqua perfectio, ut secundum hoc vere sint tres unus Deus.

3. Tertius articulus. Quomodo possint ista intelligi possibile esse secundum opiniones doctorum.

51 Circa tertium ergo considerandum est qualiter ea quae dicta sunt possint declarari possibile fore, ut acquiratur declarativus habitus ex ista quaestione.

a. Opinio Thomae, Parte Prima, quaestione 28, articulo 3, in solutione primi argumenti.

52 Voluerunt ergo aliqui dicere quod trinitas personarum stat cum identitate essentiae pro eo quod relationes, personas distinguentes, sunt idem cum essentia realiter, sed differentia ratione. In talibus autem possibile est quod aliqua sint eadem tertio realiter, et tamen quod inter se distinguantur, ut patet quod actio et passio sunt realiter idem motui, sicut Philosophus dicit III *Physicorum*; et tamen actio et passio inter se non sunt idem. Consimiliter ergo, licet paternitas sit idem cum essentia divina, et similiter filiatio, tamen haec duo in suis propriis rationibus important respectus oppositos, unde ad invicem distinguuntur.

53 Sed iste modus declarandi minime stare potest, nec difficultatem evacuat. Quaecumque enim uni et eidem sunt eadem, sed differentia ratione, inter <se> sunt eadem secundum rem, quamvis differant ratione. Talis namque identitas est extremorum inter se qualis est eorum identitas in medio; vel tollitur omnis forma syllogistica et demonstrativa quae tenet ex isto principio; unde negans ipsum, vel in Deo vel in quocumque alio, tollit omnem viam demonstrandi et sciendi aliquid de Deo. Sed secundum sic dicentem, paternitas et filiatio sunt idem secundum rem essentiae divinae, quamvis sint distincta secundum rationem ab ea. Ergo inter se erunt eadem secundum rem, quamvis distinguantur secundum rationem, et per consequens Pater et Filius

sola ratione distinguuntur, et redit error Sabellii. Nec valet quod dicitur de actione et passione; aut enim realiter distinguuntur a motu, aut si omnino /Vb 92ra/ realiter idem sunt motui nec differunt nisi ratione, eodem modo inter se erunt idem realiter, differentia sola ratione.

b. Modus Hervaei in Scripto Primo, distinctione secunda.

54 Propter quod alii dicere voluerunt quod essentia divina non opponitur paternitati et filiationi, ista vero inter se opponuntur, et idcirco essentia praedicari potest de paternitate et filiatione, et e converso; paternitas autem et filiatio non de se invicem praedicantur, ratione oppositionis quam habent.

55 Sed hic modus difficultatem confirmat potius quam dissolvat. Quodcumque enim aliqua sic se habent quod alteri aliquid realiter opponitur quod non opponitur alteri*, illa non sunt idem realiter. Alias si sunt eadem res, illi aliquid opponetur et non opponetur, quod est contradictio. Sed paternitati realiter opponitur filiatio, non solum secundum rationem; essentiae vero non opponitur secundum sic ponentem. Ergo necesse est quod paternitas et essentia realiter distinguantur.

c. Modus dicendi quorundam.

56 Quapropter dixerunt alii quod hoc oritur ex condicione relationis; nam illa maxima: 'Quaecumque uni et eidem sunt eadem, sunt eadem inter se' tenet in absolutis, non autem in relativis, pro eo quod esse relationis non est ad fundamentum, sed ad aliud puta ad correlativum.

57 Sed hoc stare non potest propter duo. Primo quidem quod principium, fundatum super terminis generalibus, tenet in omni natura et in omni re, sive absoluta sit sive relativa. Sed hoc principium 'quaecumque uni et eidem' fundatur super terminis generalibus, quae sunt res unum et idem; est enim sensus quod quaecumque res uni et eidem rei sunt eadem, inter se sunt eadem. Ergo ita tenet in relativis sicut in absolutis.

58 Secundo vero quod ait relationem non esse rem in comparatione ad fundamentum, sed solum in comparatione ad terminum; hoc nempe impossibile est. Quaerendum est enim, si relatio habitudo est fundamenti ad terminum, utrum ista habitudo sit res subsistens aut res existens in termino, aut existens in fundamento, aut existens in aliquo alio. Non potest poni existens in termino, quia tunc terminus referetur per eam, quod non est verum, immo ipsa refert ad terminum. Nec potest poni subsistens, nam habitudo subsistere non potest; nulla enim res ad aliud subsistit, ut Augustinus dicit, VII *De trinitate*, capitulo 4; et 1 capitulo dixit quod omne relativum est aliquid praeter id quod relative dicitur. Nec potest poni quod sit in aliquo alio, cum aliud non necessario exigatur ad hoc quod sit relatio, nisi fundamentum et terminus. Relinquitur ergo quod sit habitudo fundamenti et in fundamento ad terminum. Omne autem quod est alicuius, vel in aliquo, habet comparationem ad illud tamquam ad id in quo est vel cuius est. Ergo esse relationis, etsi sit ad terminum, nihilominus tamen habet comparationem ad fundamentum.

59 Unde considerandum quod aliud est relationem non esse habitudinem nisi ad terminum, et aliud est relationem non habere esse in comparatione ad fundamentum. Verum est enim quod non est habitudo ad fundamentum, sed habitudo fundamenti. Sed haec est aliqua comparatio propter quam tenet argumentum, quod si duae relationes eadem sunt realiter et omnino fundamento, ex-/Vb 92rb/-cepto hoc quod distinguuntur ratione, necesse est ut inter se realiter sint eadem; et redit difficultas.

d. Opinio multorum, scilicet Gyraldi, Quolibet Primo, quaestione 5, et Hervaei in Scripto ubi supra et in Quolibet suo, et plurimum aliorum.

60 Et ideo dixerunt alii quod oritur haec possibilitas, pro eo quod essentia est idem tribus relationibus inconvertibiliter et inadaequate ratione suae infinitatis. Dicunt enim quod essentia cadit in conceptu quiditativo cuiuslibet relationis divinae, et est sic eadem uni quod se toto excedit eam. Ponuntur autem ad hoc exempla. Primum quidem de anima rationali quae se tota est in pede et tamen inadaequate, quia cum hoc est in capite. Secundum vero de immensitate per quam Deus sic est praesens uni loco, quod cum hoc praesens est alteri, nec propter hoc illa mutuo sunt praesentia; et ita a simili, Deus per suam infinitatem poterit esse idem paternitati et filiationi, esto quod illae inter se distinguantur. Tertium quoque de divina aeternitate, per quam dicunt aliqui Deum attingere omnes partes temporis, dato quod illae inter se non sint simul. Quartum ponitur de humanitate quae est eadem totaliter Sorti et Platoni secundum rem, et tamen illi realiter distinguuntur.

61 Sed hic modus dicendi difficultatem non evacuat nec veritatem aperit divinorum, cum innitatur cuidam impossibili, videlicet quod una simplicissima res unitate omnimodae indivisionis, non unitate universalitatis, possit totaliter esse idem rei alicui et tamen non adaequari illi realiter et cum illa converti; nulla namque res excedit seipsam aut est inconvertibilis sibi sive inadaequata; quod patet, quia tunc expressa contradictio implicatur, videlicet quod est excedens et excessa, convertibilis et non-convertibilis, adaequata et non adaequata, cum omnis res adaequatur sibi, convertatur secum et coaequetur. Sed secundum istum modum dicendi, paternitas et essentia sunt eadem res simplicissima. Ergo impossibile est quod res essentiae excedat rem paternitatis, vel inadaequetur sibi aut non convertatur cum ea.

62 Praeterea, nulla res est maior se. Da enim oppositum quod sit maior, iam non est eadem; sed res excedens inadaequata, et non convertibilis, maior est re excessa. Ergo impossibile est quod res excedens et excessa et inconvertibilis et inadaequata sit eadem res simplex, cum ea cui inadaequatur et cum qua non convertitur.

63 Praeterea, omnis res eadem alicui inconvertibiliter et inadaequate, sic includit illam rem quod aliquid plus includit. Sed quod includit aliquam rem et aliquid plus realiter, non est idem secundum rem illi; totum enim non est idem parti. Ergo impossibile est quod aliqua res simplex sit simpliciter secundum rem idem alicui, et tamen non adaequetur* secundum rem, sed excedat.

64 Praeterea, maior est convertibilitas inter eadem entitative quam inter aequalia quantitative. Sed impossibile est quod duae lineae sint aequales quantitative, quin convertibiliter sint aequalia, sic quod una aliam non excedat. Ergo multo minus <im>possibile est quod aliqua sint eadem entitative simpliciter, quin ad invicem conver-/Vb 92va/-tantur, sic quod unum aliud non excedet.

65 Praeterea, relativa aequiparantiae mutuo convertuntur; verbi gratia simile et amicus, et talia. Sed identitas est relatio aequiparantiae. Dicitur enim idem eidem idem, et e converso. Ergo si aliquid est idem alicui secundum rem, erit convertibiliter idem sic quod res unius cum re alterius convertetur.

66 Praeterea, maiorem distinctionem requirit inaequalitas quam aequalitas. Sed aequalitas realem distinctionem exigit inter aequalia “Nihil enim est sibi simile aut aequale”, secundum Hilarium, libro III *De trinitate*. Ergo multo fortius nulla res simplex erit sibi ipsi inaequalis, et per consequens nec inconvertibilis aut inadaequata.

67 Praeterea, realis relatio requirit distinctionem realem inter extrema. Sed inadaequatio et inconvertibilitas seu excedentia sunt reales relationes, ubi aliqua dicuntur realiter inadaequari, aut realiter non converti. Ergo impossibile est quod inadaequatio realis cadat inter illa, quae sunt una res simplex.

68 Praeterea, manente eadem causa, manet idem effectus. Sed infinitas quam habet res divinae essentiae ratio est quod sit idem paternitati inadaequate. Ergo cum res paternitatis eodem modo sit infinita et eadem infinitate, cum simpliciter eadem sit ratio, erit quod paternitas eadem erit essentiae, et per infinitatem quam habet extendetur ad omne illud ad quod per suam infinitatem extenditur res essentiae.

69 Praeterea, impossibile est contradictoria verificari de eadem re simplici, loquendo tamen de contradictione quae attenditur penes praedicatum reale. Sed, si essentia et paternitas sunt una simplex res, de ea verum est dicere quod fundat excedentiam, et de ea verum est dicere quod fundat oppositum excedentiae quod est excedi. Ergo de eadem re simplici verum est dicere quod excedat et non excedat, exceditur et non exceditur, si essentia sit eadem paternitati inconvertibiliter et inadaequate. Nihil igitur est hoc dictu*.

70 Praeterea, illud nullatenus ponendum quod infringit omnem formam syllogisticam et omnem modum demonstrativum et omnem viam ad sciendum. Redit enim secundum hoc sententia academicorum* dicentium quod non contingit aliquid scire. Sed, posito quod aliquid sit idem alicui simpliciter et cum hoc inadaequate et inconvertibiliter, tollitur omnis efficacia syllogistica. Dicam enim quod quantumcumque maior et minor extremitas sint eadem in medio, non tamen erunt eadem inter se, quia medium est cum utroque inconvertibile et excedens, et sic in omni demonstratione assignari poterit fallacia consequentis. Ergo illud dictum nullatenus est ponendum.

71 Praeterea, evidenter tollitur primum principium: ‘Quaecumque uni et eidem sunt eadem’; licet enim sit fallacia consequentis et principium apparentiae in paralogismo illius fallaciae, si non addatur eo modo quo in tertio, ut Philosophus dicit, II *Elenchorum*, nihilominus si addatur illa determinatio, est principium per se notum. Impossibile est enim quin aequalem et eandem et illius modi unitatem extrema habeant inter se, quam habent in medio. Sed constat /Vb 92vb/ quod paternitas et filiatio sunt una simplex res quae est deitas, nec sunt aliud quam deitas secundum rem, nec deitas est aliud quam ipsae secundum istum modum salvandi. Ergo non potest evadi quin paternitas et filiatio sint omnino eadem res.

72 Patet igitur quod non est bonus modus declarandi irrefragabilem veritatem per assumptionem unius impossibilis, quod nec Deus nec aliqua natura patitur. Unde est pessimus modus errandi inter illos tres quos Augustinus ponit, I *De trinitate*, capitulo primo, Deo videlicet aliquid attribuere quod nulla natura patitur, sicut quod idem seipsum gignat ut sit; et indubitanter aequae absonum est quod idem seipsum excedat ut inconvertibile sibi sit. Nec exempla debent movere. Multo enim aliud est de simultate quam de identitate. Quod enim anima simul sit tota in pluribus partibus corporis, aut quod Deus praesens sit pluribus locis seu partibus temporis nullum impossibile est. Quod autem una res simpliciter sit eadem pluribus contradictio est. Tunc enim sequitur quod illae plures res sint penitus una res. Et ideo iste modus salvandi stare non potest. Aliud autem exemplum de humanitate in nullo est ad propositum. Non est enim humanitas una simplex res – sicut est deitas – et individua, immo est plures res et unus conceptus, iuxta illud Porphyrii: participatione unius speciei, hoc est conceptus specifici, plures homines sunt unus homo.

e. Modus dicendi Scoti, distinctione 3 primi libri.

73 Propterea dixerunt alii quod necesse est inter essentiam divinam et proprietates poni distinctionem aliquam, vel potius non-identitatem, ante omnem actum intellectus et ex natura rei. Stante autem ista non-identitate formali, possibile est poni huiusmodi inadaequationem et inconvertibilitatem. Erit namque essentia idem realiter paternitati. Sed quia essentia est infinita formaliter et secundum propriam rationem, paternitas autem nec finita nec infinita, idcirco

essentia potest excedere paternitatem et esse idem sibi inadaequate. Non valet igitur modus arguendi per illud principium: 'Quaecumque uni et eidem sunt eadem', quia est fallacia consequentis, pro eo quod essentia non habet identitate tantum unicam subsistentiam, cum sit* eadem pluribus subsistentiis; nam in ea personae et personalia ut extrema uniuntur, et ideo per rationem identitatis eorum in essentia, tanquam in medio, non potest concludi identitas subsistentiae vel subsistentium inter se. Nec valet etiam syllogismus expository, quia divina essentia non habet rationem 'hoc aliquid', sed 'quale quid' et communis respectu personarum. Propter quod, si dicatur 'haec res est Pater' demonstrata essentia, et 'haec res est Filius' variatur medium et fit fallacia accidentis et consequentis simul.

74 Sed hic modus dicendi penitus non evadit. Distinctio namque formalis in nullo iuvat propositum. Pater enim et Filius et paternitas et filiatio non solum formaliter distinguuntur, immo realiter. Alioquin non essent tres res quibus fruendum est; et idcirco remanet argumentum. Quando-/Vb **93ra**/-cumque enim aliqua transeunt in identitatem realem simpliciter, quantumcumque retineant suas formalitates, quamvis distingui possint penes formalitates quas retinent, non tamen penes realitatem simplicem in quam omnimode transeunt et sunt idem. Sed paternitas et filiatio transeunt omnimode in eandem rem simplicem, retinendo suas formalitates. Ergo formaliter differre potuerunt, sed omnino erunt eadem res et nullatenus duae; et per consequens Pater et Filius et Spiritus Sanctus non erunt tres res, sed tres rationes tantum ex natura rei existentes in Deo, et redibit error Sabellii ponentis trinitatem rationis.

75 Praeterea, nihil excedit seipsum, ut superius dicebatur. Sed essentia et paternitas sunt idipsum re, distinguuntur tamen formaliter. Ergo essentia paternitatem realiter non excedit nec inadaequatur sibi, quamvis formaliter possit inadaequari.

76 Praeterea, res inadaequata et cui inadaequatur non est eadem res. Sed paternitati inadaequatur res deitatis, non solum formalitas. Igitur formalitas nihil iuvat.

77 Praeterea, omnes rationes superius inductae contra inadaequationem concludunt in* proposito*. Non enim distinctio formalis potest inducere inadaequationem nisi formalem. Difficultas autem est hic, non qualiter personae distinguantur formaliter et sint idem realiter, sed qualiter distinguantur realiter realitate subsistentiae, et tamen identitentur in una simplici re deitatis.

78 Praeterea, syllogismus expository non solum tenet in supposito, immo in quolibet individuo et singulari. Potest enim argui de hac albedine et de omni accidente per syllogismum expository. Sed res deitatis est singularissima et summe individua. Ergo non est fallacia accidentis nec consequentis arguendo: haec res quae est paternitas est penitus haec res quae est deitas; haec res quae est deitas est penitus haec res quae est filiatio; igitur absque variatione medii et mutatione 'quale quid' in 'hunc aliquem', et per consequens absque fallacia accidentis et consequentis et figurae dictionis sequetur* quod haec res, quam dicit paternitas, sit penitus illa res quam dicit filiatio.

79 Praeterea, quaecumque uni et eidem rei simplici sunt eadem nullo penitus addito nisi forsitan formalitatibus suis, illa inter se sunt una simplex res nullo addito nisi formalitatibus propriis. Sed deitas est quaedam simplicissima res, in qua sunt unum paternitas et filiatio, penitus nullo addito nisi formalitatibus propriis. Ergo penitus inter se erunt una res, nullo addito nisi quod distinguuntur formalitatibus propriis; et per consequens Filius aequae erit Pater realiter sicut Pater, et Pater aequae Filius sicut genitus, nisi quod formaliter ille erit Pater et iste Filius.

80 Praeterea, quandocumque aliqua realiter distinguuntur, aliquam rem habet unum quam non habet reliquum. Sed Pater in esse Patrem realiter distinguitur a Filio, non est enim Pater rationis, immo realis; iterum in esse personam, quia non est persona rationis, immo realis; et similiter in

esse suppositum. Igitur aliqua res est in Patre quae non est in **/Vb 93rb/** Filio formaliter et constitutive, et per consequens paternitas est alia res a filiatione, non solum alia formalitas. Secundum igitur illas realitates quibus invicem distinguuntur, remanet difficultas quomodo eadem simplex res penitus sunt, quae deitas nominatur. Quae quidem difficultas per non identitatem formalem penitus non evacuatur, ut cuilibet per se patet.

81 Unde si formalitates sunt, bene quidem. Sed evidenter apparet quod nihil prosunt ad hoc pro quo inventae sunt, sicut de ideis dicit Philosophus, I *Posteriorum*, quod gaudeant si sunt, nihil tamen prosunt.

f. Modus <dicendi aliorum>.

82 Idcirco alii quasi ex istis coacti confessi sunt quod proprietates a divina essentia realiter distinguuntur, inter se quidem tanquam res relativae, ab essentia vero tanquam respectus ab absoluto.

83 Haec tamen opinio minime stare potest. Ait enim Augustinus, XI *De civitate Dei*, capitulo 10 quod natura Dei propter hoc simplex dicitur, quod non “sit aliud habens et aliud illud quod habet”. Sed deitas habet in se paternitatem et filiationem. Igitur nullo modo est aliud ab ipsis.

84 Praeterea, impossibile est coniungi plures res non subsistentes distincte absque compositione aliquali. Compositio namque non est aliud quam simul positio aliquorum. Et Commentator dicit, XII *Metaphysicae*, commento 39, quod impossibile est intentionem aliquam esse additam essentiae divinae, quin accidat sibi compositio. Sed secundum istum modum dicendi paternitas additur deitati sicut res rei. Ergo est ibi aliqualis compositio saltem sui generis relativi*. Hoc autem est contra determinationem Concilii dicentis: “Simplex omnino”. Igitur illud est respuendum.

85 Praeterea, non solum personarum quaternitas reprobatur in capitulo illo “Damnamus”, immo etiam quaternitas quarumcumque rerum. Dicit enim Concilium ibidem quod ideo non est quaternitas, quia illa res communis est veraciter quaelibet simul et singillatim quaelibet trium. Sed iste modus dicendi ponit quaternitatem rerum, et ideo non tenendus.

86 Praeterea, modus omnis refellendus est nec tenendus, ad quem excitat impatientiae spiritus et diabolicae fraudis instinctus et nova et humana commenta*. Sed Magister *Sententiarum*, distinctione 33, expresse ita dicit de volentibus asserere istam opinionem, videlicet quod proprietates non sunt verissime Deus et vere divina essentia, sicut patet capitulo “Horum doctrinis” et capitulo “Ceterum” et capitulo “Verumtamen” in eadem Distinctione. Ergo hic modus est refellendus omnino.

87 Praeterea, Hilarius dicit, VII libro *De trinitate*, aliquantulum ante finem, quod “totum quod in Deo est vita est et natura perfecta ac infinita, et non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum”. Sed constat quod, si proprietates distinguantur realiter ab essentia, non erunt res viventes, alias erunt quatuor vitae in Deo. Igitur id quod prius.

88 Relinquatur igitur iste modus dicendi et omnis qui ponit aliquam realem distinctionem inter proprietates et essentiam. Ex quo patet quod non distinguuntur modaliter, quia modus realis aliqua res est, nec etiam sicut relatio et suum fundamentum.

4 Quartus articulus. Ubi declaratur haec veritas iuxta id quod videtur.

89 Nunc igitur dicendum /Vb 93va/ ultimo quod videtur. Ubi considerandum quod veritas trinitatis beatae difficilis est ad intelligendum propter quinque quae oportet salvare: primum quidem omnimodam identitatem et nullam distinctionem penitus proprietatum cum essentia, et tamen inter se veram realem distinctionem; secundum vero quaternitatis exclusionem; tertium quoque vitare omnem compositionem; quartum autem non relinquere aliquam additionem ad divinam essentiam; quintum quoque servare mutuam praedicationem proprietatis de essentia, et e converso.

90 Ad evidentiam ergo horum revocari oportet ad memoriam quod supra dictum est, essentiam divinam non habere propriam unitatem nec proprietates habere proprias unitates, sed singula earum cum essentia fundare penitus eandem unitatem et indistinctionem, non solum secundum rem sed etiam secundum omnimodam rationem, ut sic sint tres unitates in divinis, et per consequens tres per se primo distincti ad invicem et discreti; qui quidem secundum quandam communem rem indistinctam a quolibet sint individui, secundum vero proprias unitates et personalitates ac perseitates (quod idem est) sint discreti, iuxta illud Concilii De summa Trinitate et fide catholica, in capitulo “Firmiter”, ubi dicitur quod “Haec sancta Trinitas est secundum communem substantiam individua et secundum personales proprietates discreta”. Et hac veritate supposita, statim potest difficultatum solutio apparere.

91 Prima quidem de identitate omnimoda cum essentia satis patet. Ubi enim nulla est distinctio, nec rei nec rationis, ibi plena identitas. Talis autem est hic, ut probatum est supra. Ergo vera identitas. Est autem considerandum, cum perseitas reducatur ad identitatem – omnis namque praedicatio per se est ratione alicuius identitatis praedicati cum subiecto – quod secundum modos praedicandi per se oportet distingui modos identitatis. In primo ergo modo dicendi est identitas rei eiusdem repetitae sub alietate conceptus, ut cum dicitur: ‘Sortes est homo’. Sortes enim non est aliud secundum rem quam animalitas et rationalitas, quae sunt quiditas eius, sicut Commentator dicit, VII *Metaphysicae*, commento 20. Et in talibus quae sic idem sunt necesse est alterum extremorum vel utrumque immiscere operationem intellectus, et non esse penitus extra in natura; alterum quidem quia, licet Sortes sit extra, homo tamen qui praedicatur de eo non est extra; utrumque autem ut cum dicitur: ‘homo est animal’; nec enim homo qui praedicationem suscipit, nec animal quod praedicatur sunt extra. Nam de substantia, sola prima est extra intellectum, secunda vero in solo intellectu secundum Philosophum, quamvis alia fuerit opinio Platonis. In secundo autem modo dicendi per se est identitas, non eiusdem rei repetitae, sed cuiusdam indistinctionis, secundum rem quidem et intellectum ex parte alterius extremi, puta proprietatis, impossibile est enim esse vel intelligi primitatem simpliciter absque trinario, et habere tres aequales absque triangulo; ex parte vero alterius extremi est distinctio, et secundum rem et secundum intellectum; nam realitas ternarii praecise concipi potest absque primitate, et trianguli absque aequalitate et aequipollentia duorum rectorum. Ad propositum ergo dicendum quod proprie-/Vb 93vb/-tas et essentia in divinis habent maiorem identitatem quantum ad indistinctionem secundum intellectum primi modi et secundi. Nam non est alius conceptus essentiae a proprietate, nec e converso, sicut in primo modo alius est conceptus hominis a conceptu Sortis, et sicut in secundo alius est conceptus subiecti a conceptu suae proprietatis (quamvis non e converso). Quantum autem ad identitatem realem, maior est in primo modo identitas extremorum recto aspectu quam proprietatis et essentiae in divinis. Ibi enim eadem res repetitur aspectu recto, et per consequens alterum extremum non est in rerum natura, sed ab opere intellectus. In divinis autem proprietates et essentia quaelibet est res et in natura rerum posita, absque opere intellectus; et ideo paternitas non repetit rem deitatis nec e converso sub aspectu directo intellectus, quamvis co-inclusive et in obliquo. In secundo autem modo minor est identitas realis, immo summe minor quam sit proprietatis et essentiae divinae, pro eo quod subiectum habet alietatem realem quiditativam et distinctam a sua proprietate, et idcirco proprietates est realitas secundum quid et decidens in aliud praedicatum a suo subiecto. In divinis autem realitas essentiae non est distincta a proprietate, cum fundent penitus eandem unitatem. Unde nec essentia habet rationem subiecti nec proprietates rationem accidentis, nec comparantur

ad invicem sicut relatio et suum fundamentum, nec sicut modus et substratum, quia in omnibus talibus substratum habet praecisam realitatem in se et propriam unitatem. Concurrent ergo quasi ex aequo ad fundandam penitus eandem unitatem et constituendam unitissimam et summe identicam realitatem, quae quidem realitas est persona subsistens.

92 Hoc itaque praemisso, apparet quod possunt inter se distingui proprietates, et tamen ab essentia erunt penitus indistinctae. Illud namque principium: ‘quaecumque uni et eidem sunt eadem’ non tenet nisi in his quae habent identitatem realem in primo modo dicendi per se, quae est identitas per repetitionem eiusdem rei. In secundo autem modo non tenet vel in his quae habent identitatem indistinctionis. Et haec est expressa intentio Philosophi, VII *Metaphysicae*, ubi dicit quod rectum est aestimare hoc accidere in his quae dicuntur per se, ut sint idem necessario. Ubi dicit Commentator, commento 20, quod in his, quae sunt unum per se, rectum est dicere quod sunt cum suis quiditatibus idem necessario. Et est exemplum ad hoc de levitate et triangularitate respectu superficiei levis et triangularis. Constat enim quod utrumque est indistinctum re et ratione a superficie, nam impossibile est realitatem triangularitatis intelligi praecise absque superficie, et similiter levitatis, et tamen levitatis realitatem possibile est intelligi et praescindi a triangularitate, ut patet. Est etiam hic exemplum de convexo et concavo in linea circulari. Impossibile est enim convexitatem distingui et praescindi a linea, et similiter concavitatem, fundant enim eandem unitatem et indistinctionem cum linea, et tamen inter se sunt opposita et distincta. A simili ergo et multo fortius, proprietates divinae fundabunt singulae cum divina essentia singulas unitates, et erunt cum ea penitus indistinctae et e converso. /Vb 94ra/ Nihilominus inter se non fundabunt easdem unitates, immo remanebunt co-oppositae et distinctae. Sic* igitur uno verbo dicendum ad illud principium: ‘quaecumque uni et eidem sunt eadem’, quod habet veritatem in his quae sic sunt eadem in tertio quod quodlibet repetit rem tertii. Ex hoc enim demonstrative sequitur quod unum repetet rem alterius, et secundum hoc tenet ubi est identitas primi modi. Non habet autem veritatem ubi est identitas omnimodae indistinctionis, immo est fallacia accidentis. Accidit namque paternitati et essentiae prout fundant omnimodam unitatem, quod filiatio fundet cum eadem essentia omnimodam unitatem. Propter quod, si infertur quod similem unitatem fundent inter se paternitas et filiatio, patenter committitur fallacia accidentis.

93 Secunda vero difficultas, quod proprietates et essentia non ponant rerum quaternitatem, impossibile est evitare si ponatur essentia esse una quaedam summa res, habens propriam unitatem, ut dicebatur supra, Distinctione prima. Sed si deitas nullam unitatem habet praecisam contra proprietates, sed ipsa cum qualibet habet identicam unitatem in summo, necesse est dicere quod ibi sunt tres unitates, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, ut sit sola trinitas rerum absque omni quaternitate. Haec autem est via media, quam ponit Concilium generale in capitulo “Damnamus” inter errorem Ioachim, dicentis quod tres personae in nulla re communi conveniant, et errorem quem imponit Magistro, dicendo quod ille ponebat personas communicare in quadam re communi et quarta. Dicendum est enim iuxta determinationem Concilii quod erroneum est dicere quod in quadam re communi non conveniant, et magis erroneum dicere quod conveniunt in re habente distinctionem et unitatem propriam, aliam a proprietatibus personarum, quoniam si in tali re conveniunt necessario erit res quarta. Sunt igitur unum in quadam re summa indistincta a proprietate cuiuslibet personae, et fundante cum singulis singulas unitates, ne si habeat suam unitatem confiteri cogamur quaternitatem consurgere ex quadruplici unitate.

94 Tertia vero difficultas satis evacuatur ex praemissis. Ubi enim nulla est distinctio, sed omnimoda unitas et actu et potentia, ibi compositio esse non potest, iuxta illud Commentatoris, XII *Metaphysicae*, commento 39, dicentis quod “si aliqua componerentur per se exirent de potentia in actum per se”. Constat autem quod proprietas et essentia habent omnimodam unitatem, nec unum est in potentia ad aliud, quia tunc oportuisset quod aliquid reduxisset essentiam de potentia ad actum, et sic essentia divina reduxisset se ad paternitatem; vel aliquid

prius ea reduxisset eam de potentia ad actum, quod est impossibile. Et iterum, “omnis potentia est ad utrumque extremum contradictionis”, ut patet IX *Metaphysicae*. Quod enim est in potentia ad aliquid quantum est ex se non determinat sibi illud; et ideo, quantum est ex se, potest esse sub negatione illius, et per consequens est in potentia ad utrumque contradictorium. Et hoc est quod Commentator deducit, IX *Metaphysicae*, commento 17 dicens, “quod omne possibile est in potentia ad esse et ad non esse; non potentia ad **Vb 94rb/** alterum contradictorium tantum, quoniam si habuerit ad alterum tantum reliquum erit impossibile; et si alterum contradictorium est impossibile, reliquum erat necessarium et sic non erat in potentia”. Ad propositum ergo, cum essentia non sit in potentia ad non-paternitatem (alioquin Deus non esset omnipotens, qui non posset facere omne possibile; constat enim quod non potest destruere paternitatem nec reliquas proprietates), sequitur necessario quod essentia non est in potentia ad paternitatem, sed earum unitas est purissimus actus. Non est igitur compositio, nam compositio est unitas potentialium* et ita unitas potentialis. Haec autem est unitas actualissima absque omni distinguibilitate.

95 Nec valet si instetur quod compositio est simul positio, haec autem paternitas et essentia, quarum quaelibet est res simul, in unum ponuntur – hoc inquam non valet quia simultas est quaedam relatio, et idcirco requirit aliquam distinctionem de necessitate inter componibilia, distinctionem inquam vel in actu qualis est in acervo, vel saltem in potentia qualis est inter materiam et formam. Cum igitur in proposito nulla distinctio cadat, simul positio nequaquam erit ibi, et per consequens nec compositio.

96 Nec valet etiam si secundo instetur quod secundum hoc non est maior simplicitas in persona, quam esset in aliquo composito ex materia et forma, si utrumque esset incorruptibile et inseparabile per quamcumque potentiam. Hoc quidem non valet. Absit enim hoc quod talis sit unitas proprietatis et essentiae in persona, tum quia materia est purum modificabile et potentiale, forma autem modus et actus eius, per oppositum vero deitas est summe actualissimum nec aliquid modificabile, immo est quiditas actualis non expectans aliquid quidificans ipsam sicut materia, quae de se non est nec quid nec quale nec quantum, secundum Philosophum, VII *Metaphysicae*, trahitur ad esse quid per formam substantialem; tum quia summus gradus unitatis est simplicitas, et per consequens evacuat compositionem. Nunc autem tres sunt gradus. Quidam aggregatio qualis est in acervo et ille est minimus; alter compositio qualis est in coniuncto ex materia et forma, sive sit corruptibilis sive incorruptibilis. Talis autem unitas non est summa, quia ibi commiscetur multitudo in potentia. Semper enim materia est ens in potentia et forma actus eius, et per consequens ibi est unitas mixta cum aliquali multitudine actus et potentiae, iuxta illud Philosophi, VIII *Metaphysicae*, dicentis quod impossibile est dissolvere quaestionem difficilem, quomodo compositum est unum et tamen coniungitur ex pluribus, nisi dicatur quod illorum plurium quoddam est potentia et quoddam actus. Quod exponens Commentator, commento 15, dicit quod, “qui non distinxit pluralitatem quae est in potentia ab ea quae est in actu, impossibile est solvere hanc quaestionem”. Tertius autem gradus est actualissimae indistinctionis, sic quod neutrum indistinctorum est in potentia ad reliquum. Et iste gradus est summus, cum ibi sit purissima unitas absque admixtione multitudinis cuiuscumque, actualis quidem et potentialis, cum ibi non sint multa in actu sicut in acervo, nec in potentia sicut in composito ex materia et forma. **Vb 94va/** Cum ergo ibi sit summa unitas ibi erit simplicitas, et per consequens compositio nulla. Adhuc etiam falsum assumitur quod materia aliqua sic possit uniri cum forma, vel potentiale aliquod cum aliquo actuali, quin illa unio sit* possibilis ad multitudinem et quin possit destrui per aliquod agens, saltem per omnipotens, propter rationem superius inductam. Nam materia et quodlibet potentiale est in potentia contradictionis, et idcirco omnipotens potest materiam reducere ad privationem formae, et quodcumque potentiale ad privationem actualis. Quare unitas quam fundant actuale et potentiale non est unitas pura et summa, sed compositio. Illa enim unitas non est summa et pura, quae potest reduci ad multitudinem. Si enim potest reduci, iam includit multitudinem in potentia, et per consequens non est pura unitas, quia illa nullo modo includit aliquid multitudinis, sicut nec pura albedo

aliquid nigredinis. Illa vero unitas quae est inter essentiam et proprietatem, et secundum rem et secundum rationem tanta est ut nulla multitudo ibi valeat admisceri, et per consequens est summa unitas, qua simplicitas non est maior quia summo non est maius.

97 Non valet etiam si tertio instaretur quod simplicitas est eiusdem rei unitas ad seipsam, et per consequens est maior unitas quam sit eorum quae fundant penitus omnimodam unitatem; cadunt ergo ista aequaliter a simplicitate, et sic incidunt in compositionem. Hoc nimirum non valet; nam simplicitas et unitas idem sunt. Simplex enim idem est quod ‘sine plica’ multitudinis et pluralitatis. Idem ergo iudicium est de unitate et de simplicitate. Quare ea quae fundant eandem unitatem, fundant eandem simplicitatem. Quod nihil aliud est quam esse absque plicae pluralitate. Nunc autem probatum est supra quod res retinentes suas realitates, non oportet quod retineant suas unitates, immo possunt fundare penitus eandem unitatem. Quare consequens est quod possint fundare penitus eandem simplicitatem. Sicut igitur paternitas et essentia in nullo cadunt ab unitate quin sit omnimoda, sic in nullo cadunt a simplicitate quin sit omnimoda. Cum ergo instatur quod maior est unitas eiusdem rei ad seipsam quam eorum quae fundant penitus eandem unitatem, manifeste in recto contradictio implicatur. Si enim minor unitas est, iam non fundant penitus eandem unitatem omnimodam. Minor enim unitas caret aliquo gradu unitatis. Et ideo dicendum quod eiusdem rei ad seipsam non est maior identitas vel unitas quam eorum quae fundant omnimodam identitatem, unitatem et indistinctionem. Unde essentia non est magis indistincta a se quam a paternitate, quamvis alio modo. Quod sic patet: constat enim quod ubicumque est aequalis indistinctio, illa sunt aequaliter indistincta. Sed eorum quae fundant penitus eandem unitatem ita est summa indistinctio, ut nullus gradus distinctionis relinquatur. Quod si relinquatur, iam aliquid distinguuntur et non sunt idem, et sic per consequens non fundant **/Vb 94vb/** penitus eandem indistinctionem, cuius oppositum supponebatur. Relinquitur ergo quod nulla indistinctio possit esse maior quam fundantium eandem unitatem. Ergo nec aliquid erit magis indistinctum, et per consequens essentia non est magis sibi ipsi indistincta quam paternitati. Porro hoc advertendum est quod, cum dicitur essentiam eandem esse paternitati, dicitur essentiam esse eandem sibi ipsi. Ipsum enim et se, cum demonstrent* rem essentiae, per necessitatem includunt illud quod est indistinctum a re essentiae. Ergo implicat et demonstrat paternitatem, cum sit penitus indistincta a re essentiae. Contingit autem aliquid implicari et demonstrari dupliciter; uno modo per co-inclusionem et indistinctionem et quasi in obliquo, et sic implicatur paternitas cum dicitur ‘essentia est eadem sibi ipsi’; alio modo in recto, ut cum dicitur ‘essentia est eadem essentiae’. Sic igitur alius est modus quo essentia est indistincta in se, quia in hac distinctione extrema replicantur in recto; et alius modus quo est indistincta a paternitate, quia extrema distinctionis non repetuntur in recto sed co-includuntur in obliquo. Nihilominus indistinctio est aequalis, cum neutra relinquat minimum punctum distinctionis; rectum namque et obliquum non intendunt nec minuunt indistinctionem, sed ipsam alterant et ponunt diversum modum. Quod autem superius dicebatur in solutione primae difficultatis, quod in primo modo dicendi per se, ubi est identitas per repetitionem, est maior identitas quam inter essentiam et proprietatem secundum rem, dicendum quod illa maioritas referri debet ad modum indistinctionis secundum rectum. Licet enim aequalis sit indistinctio ubi extrema sunt idem in recto et ubi in obliquo, nihilominus secundum modum concipiendi illa videtur maior secundum veritatem; tamen non est, cum etiam inter ista sit unitas in summo. Patet igitur quomodo est infinita simplicitas et infinita unitas proprietatis et essentiae in divinis, et per consequens compositio nulla.

98 Quarta autem difficultas solvitur ex eodem. Patet enim quod proprietates ad essentiam penitus nihil addunt, cum additio sit distincti ad distinctum aliquo modo; et simile aliquale de simplicitate omnimoda. Et nulla additione reperiri potest in verbo intellectus nostri, de quo supponatur ad praesens quod rosa posita in esse formato et apparenti et in prospectum intellectus obiective verbum sit mentis nostrae. Constat autem quod rosa sic posita simplicissima est. Aspicit enim intellectus unum simplex considerando rosam. Nec potest dici quod illa sit tantum rosa existens extra, quia cum extra sint plures divisae numeraliter vel forte

nulla, non posset apparere ut una; et tamen intellectus aspicit unam quiditatem rosae. Non potest vero dici quod sit sola apparentia rosae, nec sit ipsa rosa quia intellectus tunc non intelligeret nec esset scientia de rebus, sed de apparentiis et phantasiis tantum. Est igitur ipsa res posita in esse apparenti, sic quod est ibi res et esse apparens illius rei, quod sic identificatur ipsi rei **/Vb 95ra/** et quasi intimatur, ut sic liceat loqui quod intellectus rosam in esse apparenti intueatur ut unum simplex, nec possit distinguere inter esse apparens rosae et realitatem quae apparet; immo non videtur nisi vel simplex apparentia rosae, vel ipsamet rosa quasi totum sit rosa et totum apparentia rosae. Et sic est simpliciter in divinis, quia filiatio non est aliud quam respectus verbi seu imaginis. Unde Filius est Deus non fictitie sed realiter, positus in esse conspicuo in prospectu intellectus paterni; et habet se sic conspicuitas quae est proprietas filiationis ad ipsam deitatem ut Deus in esse conspicuo positus, quasi totus sit realis apparentia et conspicuitas deitatis et totus sit deitas ipsa.

99 Ultima quoque difficultas, qualiter essentia de proprietatibus et proprietates de essentia praedicentur, satis apparet et in exemplo, quoniam rosa apparens est apparentia et est rosa, et apparentia rosae est rosa et e converso. Et consimiliter apparentia deitatis, quae Verbum est, est deitas apparens quae est persona, et ipsa apparentia est deitas et e converso. Apparentia autem non est aliud quam respectus filiationis, quia Filius in divinis est filius mentalis sive conceptus mentis, sive deitas posita in esse prospecto. Patet etiam ratione, quia tanta est identitas proprietatis cum essentia quod exceditur perseitas secundi modi et attingitur perseitas primi modi, eo modo quo dictum est, exclusa semper repetitione eiusdem rei in recto. Cum igitur attingatur illa perseitas quoad identitatem proprietatum <erit praedicatio verissima> de essentia, et e converso; quia vero non repetunt se in recto, non erit praedicatio formalis qualis est in primo modo dicendi per se.

Et hoc sufficiat de quaesito.

D. Responso ad obiecta.

100 Ad ea ergo quae superius inducuntur dicendum est. Ad primum quidem quod ex trinitate personarum nulla quaternitas sequitur, ut declaratum est. Ad secundum vero quod nulla ponitur compositio. Ad tertium autem quod nulla fit additio. Ad quartum autem quod non impeditur praedicatio, cum intellectus concipiendo unum, puta essentiam, co-includat totum, puta paternitatem et essentiam et e converso, quamvis aliter; nam primo concipit essentiam directe, paternitatem autem co-inclusive et indirecte ratione omnimodae indistinctionis et eiusdem unitatis quam fundant. Intelligendo autem paternitatem fit e converso, sicut de rosa et apparentia rosae dicebatur in corpore quaestionis. Et quia nulla verior ea in qua praedicatur idem de se, ideo ista praedicatio est verissima: paternitas est essentia; non tamen est formalis seu in primo modo, quia infra conceptum paternitatis non est recto aspectu essentia, sed tantum co-inclusive, ut dictum est. Nec etiam impeditur puritas aut primitas essentiae divinae, sicut nec* esse apparens rosae positae in prospectu impedit quin ratio rosae sincerissime intellectui praesentetur.

101 Ad quintum dicendum quod pluralitas, multiplicans essentiam divinam et dividens, sonat in imperfectionem. Sed quod deitas fundet plures unitates cum diversis proprietatibus, manens penitus indivisa, nulla imper-/Vb 95rb/-fectio est. Nec multitudo suppositorum intenditur per accidens in natura intellectuali, sed inest de necessitate; in nobis quidem est trinitas suppositorum, quorum unum habet esse reale, puta Sortes intelligens; secundum vero esse intentionale, scilicet idem Sortes positus in esse prospecto et apparenti; tertium quoque esse intentionale, scilicet ipse Sortes qui ex hoc quod in seipsum fertur et fluit per amorem, ponitur in esse lato et flato, ut magis inferius apparebit. Quia igitur homo et quaecumque intellectualis natura secum fert tria supposita, dum diligit se et intelligit, idcirco natura intellectualis divina,

non per accidens, sed per se in trinitate suppositorum, non consimilium nobis, sed enuncientium realiter subsistit.

102 Ad sextum dicendum quod de fundantibus eandem unitatem contradictoria possunt verificari, contradictoria inquam non exigentia in subiecto praecisam unitatem. Et quia communicabilitas potest competere rei non habenti solitudinem et unitatem, idcirco essentia quae est in Patre potest communicari Filio, ut sit in utroque indistincta a proprietate cuiuslibet, et tamen proprietas non erit communicata. Similiter etiam res indivisa in se potest esse una, et tamen fundans cum pluribus plures indistinctiones, et per consequens unitates. Nec erit contradictio quod sint plures unitates et plures personae, illa re individua permanente. Consimiliter etiam non est contradictio quod res indistincta non generet, et quod constitutum ex illa et ex re alia indistincta generet. Et sic Pater generat, essentia non generat. Consimiliter etiam non erit contradictio quod Pater et Filius suis unitatibus distinguantur, et quod sint unum in quadam re summa et communi et a quolibet indistincta.

103 Ad septimum dicendum quod illud principium ‘quaecumque uni et eidem ...’ non tenet in his quae fundant penitus eandem unitatem, sed in his quae sunt eadem aspectu directo et per repetitionem, ut dicebatur in corpore quaestionis. Et per idem patet ad octavum. Nam syllogismus expositorius nullo modo tenet, si media insint extremo per omnimodam co-inclusionem et indistinctionem: non enim sequitur, si extrema fundant eandem unitatem cum medio, sic quod singulum cum medio fundet singulam unitatem, et propter hoc inter se fundent eandem unitatem. Per idem etiam patet ad nonum, quia sic intelligendo unitatem ex ipsis terminis, mens non refugit quin tres res distinctae identitari possint simplicissimae et individuae rei.

104 Ad decimum dicendum quod vocabulum ‘personae’, etsi non exprimitur in Scriptura, exprimitur tamen eius significatum, dum praedicatur nobis quod in Deo sunt tres ‘per se sonantes’, de quibus distincte actus enunciantur, puta generare spirare, generari spirari, et in quibus pronomina plurificantur et cetera, quae dicta sunt in septenario regularum in corpore quaestionis.